



SACROSANCTA  
CONCILIA  
ŒCUMENICA

COMMENTARIIS ILLUSTRATA

AD SANCTISSIMUM PATREM

BENEDICTUM XIV.

PONTIFICEM MAXIMUM

TOMUS IV.

*Reliquas Œcumenicas Synodos comprehendens, nempe,  
Lugdunenses I. & II. Viennensem, Florentinam,  
Lateranensem V. & denique Tridentinam.  
Adjunctis Pisana, Constantiensi, Senensi,  
Basileensi, ac Pisana altera.*

AUCTORE JOSEPHO CATALANO PRESBYTERO  
ORATORI S. HIERONYMI CHARITATIS.



ROMÆ, MDCCXLIX.

Ex Typographia Antonii de Rubcis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.



# BENEDICTO XIV. PONTIFICI MAXIMO

SALUTEM IN DOMINO, ET FELICITATEM PLURIMAM  
JOSEPHUS CATALANUS.



*A tandem qua potui celeritate, BEATISSIME PATER, absolvi hoc Tomo IV. inceptum a me Opus, & a nullo, quod sciam, adhuc peractum, enarrationem scilicet Conciliorum omnium Generalium, quæ ad profligandas hæreses, abususque extirpandos, atque ad Ecclesiasticam Disciplinam pro temporum ratione primævæ suæ puritati restituendam in Oriente primum, ac deinde in Occidente Prædecessorum tuorum jussu præsentivæ celebrata fuerunt. Fateor equidem, Binium, Longum, Cabassutium, ac præ ceteris eruditissimum Lupum operam suam navasse enarrationi ipsi Conciliorum: sed fateri æque oportet, clarissimos hosce Auctores nec omnia Concilia Oecumenica, neque Canones omnes, sed unum, vel alterum explicuisse, sive potius Notis quibusdam illustrasse. Lupus ipse,*

a a

qui



# HISTORIA

## CONCILII XIII. OECUMENICI

### LUGDUNENSIS I.



In agitatam fuisse Ecclesiam non modo ab Ethnicis, sed & ab ipsi Christianis Imperatoribus, testantur passim Sacre Historie, ac Vitae Romanorum Pontificum, in quas idem potissimum severunt. Fata-

le autem illud quodammodo fuit, si ita loqui Christiano homini licet, ut quemadmodum trium Henricorum Imperatorum, Secundi scilicet, Tertii, & Quarti perfidia Ecclesiam, ejusque Summos Praesules Saeculo XI. & XII. vexavit, & cogendo Lateranensi I. Generali Concilio causam potissimam dedit: ita & duorum Imperatorum Fredericorum impietas adeo sequioris aevi Pontifices exagitarit, ut alter anno MCLXXIX. Alexandro III. occasionem praeberit Generali III. Lateranensi Concilio celebrando, ut jam nostro Tomo III. Conciliorum ostensum fuit: alter vero Innocentium IV. impulit, ut anno MCCXLV. Lugdunense hoc primum universale Concilium ad coercedam ejus insolentiam, impietatem, & pertinaciam cogeret.

II. Sed ut ordine procedamus, res ipsa postulat, ut similitates, quas ipse Fredericus II. cum laudato Innocentio IV. atque cum aliis ejus Praedecessoribus gessit, bellique acerbissimi, quod eisdem intulit, laetitia, & causas, ex, qua fieri brevitate poterit, explicemus. Hic igitur Fredericus Henrici V. filius, & Frederici I. nepos amplissimis ab Apostolica Sede beneficiis affectus est: consiliarius quoque fuit a Caesario III. Pontifice Maximo Siciliae Rex, postquam scilicet Imperatrix Constantia ejus mater, teste Hovede-

dene in posteriori parte Historiae Anglicanae, juravit tantis sacrosanctis Evangeliiis, quod praedictus Fredericus natus fuit de legitimo matrimonio praedicti Henrici Imperatoris. Et ipse, Constantiae nempe, cujus juramentum jure excepit Caesarius, quod inspiciones increbuit, Fredericum fuisse partem inpositum. Porro obiit Henricus Frederici pater in Sicilia apud Messanam anno M.CXCVII. die xxv. Septembris, ut tradit inter alios Hovedenus, conditoque testamento jussit, non solum per filium suum, Richardo Angliae Regi restituendum, quod ab eo extorserat, & nisi faceret, per Sedem Apostolicam cogere, ut constat ex Innocentio III. in Epistola cexxx. Lib. I. ad eundem Richardum Regem data: sed etiam Ecclesiae Romanae juramentum exhiberi mandaverat, quae a Regibus Siciliae eidem reddi consueverunt: & ut, si sine haerede decederet, eadem Sicilia ad Romanam Ecclesiam deveniret, ut habetur in Acta Vitis laudati Innocentii Papae III. antiquitus scriptis, & memoratis a Cardinale Baronio ad annum MCLXXIX. insuperque alia plura eidem Ecclesiae Romanae restitui ordinaverat. Quamobrem Hovedenus tradit, Henrico defuncto, magnam Tusciae partem, quam is Imperator, & praedecessores ejus abstulerant, redditam esse Caesario Papae III. itaque Siciliae, Calabriam, Apuliam, & omnes Terras, quae fuerant Regis Siciliae, sicut proprium Patrimonium S. Petri, eque ei exhibitas esse: sed Caesarium Papam in eis constituisse Regem Fredericum ipsum Henrici, & Constantiae filium.

III. Parente Henrico orbatus Fredericus tutorem habuit Innocentium III. qui anno M.CXCVIII. in Caesarii Papae III. locum eodem anno defuncti successit, ejusdemque Innocentii Papae opera ad Imperii fastigium anno MCCXI. ascendit, annum ipse agens decimum septimum, excommunicato, atque ab Imperii jure dejecto Othone IV. qui